



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 47. Vaivodæ Moldaviæ victoria de Turcis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XLVII.

Sæcul. XV.

A. C. 1475.

*Vaivoda Moldaviae victoria de
Turcis.*

Cum Mahometes cum ingenti exercitu *Michov. l. 4.*
centum viginti millium Turcarum *c. 70.*
Moldaviam invasisset, Vaivoda seu Pala- *Croner. l. 28*
tinus, licet nonnisi quadraginta circiter
millia armatorum haberet, hosti suo ob-
viam processit. Toto mense Januario
frequenti decertabatur prælio, Turcis
semper devictis, adeo, ut eorum exerci-
tus licet numero præstantissimus esset,
magna clade prosterneretur, quatuor Bassis
seu belli Præfectis in hac pugna desidera-
tis, ac vexillis centum, & amplius amissis.
Moderate admodum hujus victoriae gloria
Vaivoda utebatur, solique Deo acceptam
referens, totum deinceps quatrimum ab
omni præter panem & aquam alimento
abstinuit, ac Summo Pontifici, necnon
Poloniæ & Hungariæ Regibus spolia ab
hoste occupati partem submitit. Sub *Bonfin. 4.*
idem ferme tempus Turcæ Naupactum *dec. 3. in fine.*
urbem triginta armatorum millibus cin- *Michov. c. 71*
gunt, obsessosque continuis irruptionibus
solidis octo mensibus lacessunt, tandem
vero a Lauredano Venetorum Præfecto
obsidionem solvere compulsi, recta ad In-
sulam Lemnos contendunt, eandem op-
pugnaturi. Cum vero nihil propius esset,
Histor. Eccles. Tom. XXIX. Kk quam

Secul. XV.
A.C. 1475.

quam ut obsessi hostium impetus sustinendo impares succumberent, idem Lauredanus opportuno auxilio occurrit, eosque pulsus Turcarum copiis periculo exemit. Ferunt tamen, præcipuam servatæ hujus Insulæ partem deberi cuidam puellæ Marullæ nomine; illa enim nova hujus ævi Heroïna, Janiffaris jamjam in urbem erumpentibus, cæsoque ante oppidi portas Patre suo, protinus armata accurrit, & per medios enses in Turcas tam virili audacia irruit, ut obsessi puellæ fortitudine accensi, restaurato prælio barbaros in fugam agerent, urbemque liberarent, Turcarum plurimis trucidatis.

§. XLVIII.

Cassa a Turcis capta ex Genuensium culpa.

Mahometes propter acceptam cladem de furore suo adeo nihil remittebat, ut etiam Crojam urbem obsidione premeret; prima hujus expeditionis auspicia Christianis secunda fluebant; quippe jamjam duo castra ad cingendam urbem a Turcis erecta occupabant. Ast prædæ aviditas Victores vicit; Turcæ enim prius fuga dilapsi, dum Venetos magis spoliis quam periculo intentos, ac soluto militari ordine hinc inde dispersos cerunt, auctis certatim viribus, omiffam antea